

47 ci confaetus. Notat insuper *cit.* Author de aliis similibus appellationibus, ob eas nullum unquam Concilium generale celebratum legi, ut appellantis Viris tam magnis

ius diceretur; neque legi, appellationes illas sub fine potitas fuisse: quod sanè mirandum foret, si jus appellandi reverà appellantis competisset.

QUÆSTIO V.

Qualem auctoritatem habeant Concilia Generalia?

48 **C**oncilia Generalia, legitime convocata & congregata, summam habere auctoritatem, ac potestatem obligandi totam Ecclesiam, nec ulli errori vel salutati obnoxiam, atque adinstar Evangelii venerandam esse juxta *cap. sicut sancti 2. Dist. 15.* nemo Catholicorum est, qui inficietur. Eminent. Card. Vincentius Petra *tom. 2. pag. 345. num. 6.*  
 49 Ut verò legitime convocentur, & congregentur, tres præcipue conditiones desiderantur, quas cum communi DD. adstruit Eminentiss. D. Cardinalis Cœlestinus Sfondratus in *Regali Sacerdot. lib. 2. §. 1. n. 2.* Prima est, ut convocetur mandatò vel approbatione Summi Pontificis *cap. Synodum 1. cum 3. seqq. Dist. 17.* alioquin non Concilium sed conciliabulum reputatur *cap. multis 7. ead. Distinct.* Altera est, ut Summus Pontifex Concilio per se vel Legatos intersit *cap. regula 2. cap. concilia 6. cit. Dist. 17.* Et licet Concilio Constantinopolitano primo Damasus Papa non interfuerit, aut per Legatos præfuerit, quòd Patres Romam ad aliud Concilium evocasset; confirmatum tamen à Damaso fuisse, imò ejus jussu & Theodosii indictum, colligitur ex sexta Synodo Constantinopolitana *artic. 18.* post subscriptiones PP. Sfondratus *d. n. 2.* Quin & si Pontifex Legatos miserit, non valent gesta per ipsos & Concilium, nisi Pontifici exhibita, & ab eo fuerint approbata; prout etiam Concilium Tridentinum juxta *sess. ult.* confirmationem Papalem expetiit, & impetravit à Pio IV. per Bullam, quæ incipit *Beneditus*, datam 7. Calend. Febr. 1563. Nisi Papa jam antecedenter Legatis dederit facultatem, decreta Conciliaria approbandi; qualis casus, uti advertit *cit.* Petra *pag. 346. num. 15.* nequit de facili executioni mandari: cum impossibile sit, prorsus omnium rerum, in Concilio tractandarum, peculiarem dari Legatis instructionem Pontificis voluntatis, ex cujus tamen influxu Conciliorum infallibilis auctoritas dependet. Tertia conditio est, ut convocentur omnes Episcopi, nec ullus, ex quacunque orbis parte adveniat, excludatur *arg. cap. placuit 10. Dist. 18.* Quod enim omnes tangit, ab omnibus approbandum esse, docet *Reg. Jur. 29. in 6.* causa verò fidei & Religionis, cujus gratiâ primariò convocantur Concilia, tangit omnes Episco-

pos, seu Verbi Divini prædicatores, instructores, & custodes; sicque omnes vocari debent. Sive tamen multi, sive pauci, legitima præcedenti convocazione, compareant, auctoritas definiendi penes comparentes residet juxta promissum Christi *Matth. 18. ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Nec enim, ut distulserit Sfondratus, numerus Episcoporum Concilium generale facit, sed jus omnibus factum, & saltem ut ex majori parte provinciarum Christianarum aliqui adveniant: omnes enim convenire, res est impossibilis; nec credi debet, voluisse Christum auctoritatem Ecclesie necessariam ad eventum impossibilem adstringere. Et ideò, licet Concilium Carthaginense Nationale tempore D. Augustini Episcopos 217. numeraverit, Concilium verò Constantinopolitanum primum 150. hoc generale fuit, non illud: & ad Concilia, in Oriente habita, pauci Occidentalium; sicut ex adverso ad Concilia Occidentis pauci Orientalium convenere, nec minus tamen consensu omnium universalia habita sunt.

Solent tamen, præter Episcopos, ex generali consuetudine in Conciliis universalibus intervenire etiam Abbates exempti & Generales Ordinum; cum ea tamen distinctione, quòd Episcopis competat votum decisivum jure ordinario, cæteris autem ex privilegio: jam enim in Nicena secunda Synodo *art. 4.* Archi-Mandritæ & Abbates subscripti leguntur. Petra *cit. tom. 2. pag. 347. n. 28. & seqq.* Tribus etiam Abbatibus Cassinensibus unicum suffragium fuisse concessum in Concilio Tridentino, tanquam unam Religionem repræsentantibus, testatur Card. Pallavicin. in *Hist. Concil. Trident. p. 1. lib. 6. cap. 2.* Solent etiam intervenire alii; nec excluduntur Laici, præsertim Imperatores, Reges, Principes, qui suos Oratores mittunt ad Concilium, sed absque suffragio. Petra *d. pag. num. 29.*

Porro in ordine sessionis attenditur major dignitas; adeoque Archi-Episcopi sedent ante Episcopos: inter illos verò, qui pares sunt in dignitate, tempus consecrationis respicitur *cap. ult. Dist. 17.* Petra *pag. 348. n. 34. & seq.*



CAPUT III.

De Jurisdictione Summa Sæculari.

**Q**uandoquidem de hac Jurisdictionis Summæ nobilissima specie ex professo tractatum est in *Jurisprud. Publ. univers. lib. 2. 3. & 4.* &, quatenus exercetur

in Imperio Romano - Germanico, laxatò rursus calamò in *Jurisprud. Publ. Imperii Romano - Germanici*, DEO dante, explanabitur: præsens Caput additione non indiget.

CAPUT IV.

De Jurisdictione Subalterna Ecclesiastica.

SUMMARIA.

**I** & seqq. Jurisdictio subalterna Episcoporum est immediatè à DEO quoad thesin; & mediatè quoad hypothesein. 6. & seq. Scribuntur propterea DEI & Apostolica Sedis gratiâ. 8. Eorum præminencia. 9. Inter alia jura habent potestatem convocandi Synodum. 10. & 11. Quæ partim ad Jurisdictionem, partim ad legem Diocesanam spectat. 12. & seqq. Inducatur triplex finis hujus Synodi. 15. & seqq. Judicatur ordo sessionis cum personis illuc vocandis. 20. & seqq. Archi-Episcoporum auctoritas & antiquitas. 23. & seqq. Enumerantur jura Archi-Episcoporum quoad Episcopos

suffraganeos. 46. & seqq. Speciatim attingitur & explicatur jus convocandi Concilium Provinciale. 58. & seqq. Recensentur jura Archi-Episcoporum quoad subditos suffraganeorum. 67. & seq. De jure Legatorum Sedis Apostolicæ remissivè. 69. & seqq. Origo S. R. E. Cardinalium indagatur. 73. & seqq. Statuuntur causæ, propter quas ipsi præcedentia supra Episcopos tribuuntur. 76. Distincentur inter hos & illos quoad careminalia. 77. & seqq. Modus creandi Cardinales, & conferendi insignia Cardinalium.

QUÆSTIO I.

An & quatenus Jurisdictionem Subalternam habeant Episcopi?

**J**urisdictio Subalterna Ecclesiastica, quæ præcellunt Episcopi, est immediatè à DEO, si spectetur in thesi & quoad substantiam, prout distinxit in hoc *cap. num. 17.* seu quoad actum primum, veluti explicat Eminentiss. Petra *Comment. Apostol. tom. 2. pag. 220. n. 35.*  
 2 Ad illos enim in persona Apostolorum, cujus Successores sunt juxta *c. in novo 2. Dist. 21. & cap. ult. Dist. 68.* Trid. Concil. *sess. 13. de Reform. cap. 4.* dictum est à Christo Domino *Matth. 18. Amen dico vobis, quacunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo; & quacunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo.* Ad illos quoque dictum est à D. Petro *epist. 1. cap. 5. vers. 2. pascite, qui in vobis est, gregem DEI;* & à D. Paulo *Act. 20. attendite vobis & universo gregi, in quo posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos, regere Ecclesiam DEI, quam acquisivit sanguine suo.* Quamquam in actu secundo & in hypothesei Jurisdictionem accipiant à Summo Pontifice, qui non tantum Episcopatum & Diocesim, fines distinxit, cuilibet Episcopo certum districtum & populum, cui præfesset, assignandò; sed etiam Episcopos confirmat & instituit, ipsisque Jurisdictionem actualem tribuit: eà propemodum ratione, quæ Sacerdotes in sua ordinatione quoad forum internum Jurisdictionem seu potestatem absolven-

di à peccatis à DEO recipiunt juxta Concil. Trid. *sess. 23. de Reformat. cap. 15.* eam tamen in actu secundo absque approbatione & confirmatione Episcopi exercere nequeunt.

Et hinc provenit, quòd Episcopi se tales in suis titulis & allocutionibus scribant *DEI & Apostolica Sedis gratiâ;* quam quidem formulam licet omittere possint, & sæpius se Episcopos tantum nominent *DEI gratiâ;* quando scribunt ad pares vel inferiores: attamen, ut tradit Eminentiss. Petra *d. tom. 2. pag. 222. num. 45.* non est ipsis consulendum, ut omittant alterum axioma & Apostolica Sedis gratiâ, quando dant literas testimoniales, Summo Pontifici præsentandas: quippe cum à Dataria & Curia similes literas frequenter non receptas, imò & laceratas fuisse, ex auditu fide dignorum testetur.

Vi hujus potestatis Episcopi dicuntur Reges in parvo Regno; præfati sunt hominibus cujuscunque dignitatis & Ordinis; habentque plenariam Jurisdictionem in causis canonico - civilibus æquè ac criminalibus. Petra *tom. 1. pag. 150. & seq. Barbosa Fur. Eccles. univ. lib. 1. cap. 8. n. 20. & multis seqq. & cap. 39. §. 4. n. 44. & seqq.* præterquam si Summo Pontifici reservatæ fuerint, de quibus actum in *cap. 2. sess. 3. §. 1. & 2.*

Inter plura Jurisdictionis Episcopalis jura,



- ra, hinc inde in nostra *Jurisprud. Canonico-Civ.* delibata, unicum, nec postremum, hic attingo, convocationem nempe Synodi Diocesanae: hanc enim Episcopus indicere potest, & juxta Concil. Trid. *sess. 24. de Reform. cap. 2.* debet quotannis; præcedente Capituli sui Cathedralis consilio. Pignatell. *tom. 1. 10 consult. 69.* Et licet aliqui dubitent, an convocatio Synodi Diocesanae pertineat ad legem Jurisdictionis, vel Diocesanae? Rectius tamen sentiunt, qui dicunt, esse mixtam ex utraque lege, prout judicavit Rota Rom. *decis. 619. n. 4. p. 4. divers. & in Miletanf. Jurisdiction. coram D. Card. Falconiero §. eadem sunt &c.* Eminentiss. Card. Petra in *Comment. Apostol. tom. 5. pag. 127. sub n. 105.*
- 11 n. 4. quæ enim Synodus est, & in ea Synodaticum recipi solet, rectè vocatur lex Diocesana; quatenus verò in ea leges conduntur, aut judicia exercentur, aut mores corriguntur, non immeritò ad Jurisdictionem pertinere censetur.
- 12 Convocatur Synodus juxta *cit. Paulutium num. 5.* ex triplici fine. Primus & præcipuus est, ut, quæ fuerint decreta in Synodo provinciali, publicentur in diocesana *cap. ult. Dist. 18.* Secundus est, ut mala, paulatim in diocesi irrepentia, communi plurium

concurfu aut præcaveantur, aut aboleantur. Tertius est, ut pastores & rectores animarum excitentur, quatenus gregi suo oculatiùs invigilent, suoque muneri accuratè satisfaciant. Addatur P. Engel ad *tit. de Major. & obed. n. 47.*

Præsidet Episcopus huic Synodo vel per se vel per suum Vicarium *arg. cap. regula 6. Dist. 17. cap. si Episcopus 6. de Offic. Judic. Ord. in 6.* Comparat etiam Capitulum Cathedrale, quod ita quoad sessionem collocandum putat Pignatell. *tom. 4. consult. 187.* ut ex utroque latere circumdet Episcopum. Vocantur etiam Abbates non exempti, quin &, ut loquitur Concil. Trid. *d. sess. 24. de Reform. cap. 2. exempti omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse debent, nec Capitulis generalibus subduntur;* ut etiam tenentur accedere alii, qui ratione parochialium, aut aliarum Ecclesiarum, etiam annexarum curam gerunt: quamvis ejusmodi Abbatibus exemptis primum locum post Episcopum assignari debere, in *cap. ex ore 17. de Privileg. statutum sit. P. Engel cit. l. Videatur etiam Petra d. l. pag. 127. num. 108. & seqq.*

An & quatenus Synodi celebratio, vel decretorum in ea executio possit mediante appellatione impediri? Tradit Pignatell. *tom. 1. consult. 71. & seqq.*

## QUÆSTIO II.

### Quenam in hac Jurisdictionis materia sint specialia jura Archiepiscoporum?

- 20 Archiepiscopus seu Metropolitanus jam à tempore Apostolorum exordium sumptisse, colligitur ex *Canon. Apostol. 33. ibi: cuiusque gentis Episcopus oportet scire, quisnam inter ipsos primus sit, habereque ipsum quodammodo pro Capite, neque sine illius voluntate quidquam agere insolitum: illa autem sola quemque per se tractare, quæ ad parochiam ejus & loca ipsi subdita attinent.* Eaque propter in *can. 9. Concilii Antioch. legitur: Episcopus, qui sunt in unaquaque provincia, scire oportet, Episcopum, qui præest Metropoli, etiam curam suscipere totius provinciae: id quod in Metropolim undequaque concurrunt omnes, qui habent negotia. Unde visum est quoque, eum honore præcedere; reliquos autem Episcopos nihil magni momenti aggredi sine ipso, ut vult, qui ab initio obtinuit, Patrum canon.*
- 21 Et hinc Archiepiscopus in tota sua provincia, atque ad eò in Diocesibus Suffraganeorum ejusdem Provinciae obtinet assistentiam Juris Communis, sicut habet Episcopus Juris assistentiam in tota sua Diocesi; videlicet quod actus, dependentes à potestate & Jurisdictione Archiepiscopali seu Metropolitana. Eminentiss. Petra *Comment. Apostol. tom. 5. pag. 196. sub n. 24.*
- 22 Jura autem Archiepiscopalia expendi possunt vel quoad Suffraganeos Episcopos,

vel quoad eorum subditos. Quoad Suffraganeos Archiepiscopus habet I. jus confirmandi Episcopos *cap. Episcopi 1. Dist. 64. cap. inter corporalia 2. de Translat. Episc. II. 24.* jus consecrandi Episcopos confirmatos, ad eò ut nulli alteri, nisi accedente jussu & delegatione Metropolitanani, liceat Episcopum Suffraganeum consecrare *d. cap. Episcopi 1. Dist. 64. cap. non debet 2. Dist. 65. d. cap. inter corporalia 2. cap. Suffraganeis 11. de Elect. cap. si Archiepiscopus 6. de Tempor. Ordinatio.* Verùm tam Confirmationem, quam Consecrationem Episcoporum, præsertim in Germania, Summo Pontifici hodie reservatam esse, testantur passim Authores, & indicat consuetudo. Quaranta *verb. Archiepiscopi auctoritas num. 3. vers. 4. Barbosa J. E. U. lib. 1. cap. 7. num. 19. Engel ad tit. de Elect. n. 56. Wiestner ibid. num. 336.* In quo tamen Metropolitanus Salisburgensi usque in hodiernum diem illæsa & intacta remansit insignis illa prærogativa, quatuor Episcopos Suffraganeos, Gurcensem, Chiemensem, Seccoviensem, & Lavantium, jure Metropolitanico nominandi, confirmandi, & consecrandi. III. 27 jus cognoscendi de causis Suffraganeorum, quorum Metropolitanus est Judex Ordinarius *cap. quia cognovimus 6. X. q. 3. cap. pastoralis 11. in pr. de Offic. Judic. Ord. cap. sollicitudini*

- ordinem 54. de Appellat.* Sed hodie id obtinet in causis duntaxat civilibus: quia de criminalibus Episcoporum causis Trident. Concil. *sess. 24. de Reform. cap. 5.* statuit, ut, si gravioribus fuerint, etiam hæresis, quod absit, quæ depositione aut privatione digna sunt, ab ipso tantum Summo Pontifice cognoscantur, & terminentur; de minoribus verò in fine *cit. cap. decrevit, ut in Concilio tantum provinciali cognoscantur, & terminentur, vel à deputandis per Concilium provinciale.* Imò & in causis civilibus contra ea, quæ jam antè in hoc *cap. num. 29.* asserta sunt, nullam Archiepiscopo Jurisdictionem adversus Suffraganeos, præterquam in casibus, à Jure expressis, competere, aut saltem eos cogi non posse, ut coram Archiepiscopo respondeant, præter alios docet Lotter de *Re benefic. lib. 1. q. 22. num. 94. & seqq.* Hucque inclinat Eminentiss. Petra *Comment. Apostol. tom. 1. pag. 272. num. 15. & seqq.* allegans epistolam Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium, Anno 1588. 31. Maji scriptam ad Archiepiscopum Regiensem, in qua expressè continetur, Archiepiscopum non esse Judicem competentem in causa civili; ac textus contrarios putat explicandos de recurfu in gravaminibus Episcoporum; vel juxta sensum *cap. si Clericus 46. XI. quæst. 1. ibi: si fuerit negotium ipsius Episcopi, apud arbitros, ex utraque parte electos, audiatur negotium; si quis verò contra hoc fecerit, Canonum correctionibus subjaceat; &, si Clericus adversus suum vel alium Episcopum habeat causam, apud audientiam Synodi provinciae conquerratur.* Fatetur tamen idem Petra *num. 18.* non extare Legem, præcisè contrarium disponentem; imò potiùs antiquam observantiam favere Archiepiscopis, ut illi sint Judices locò Conciliorum provincialium, postquam ferè in defectu dinem abierunt. Admittit quoque in *n. 20. & seqq.* Vicarios Suffraganeorum, quotiescunque delinquant in officio, respiciente auctoritatem Archiepiscopi, posse ab hoc puniri.
- 34 IV. est jus suspendendi, interdicens, & excommunicandi Suffraganeos per *cap. Romana 1. de Offic. Vic. in 6. & cap. venerabilis 52. de Sent. excommunicat.* At quia ejusmodi pœnæ & censuræ Ecclesiasticæ non dictantur, nisi præcedat culpa & delictum; cognitio verò de delicto Suffraganeorum ex *n. 28.* ad Archiepiscopum haud spectat: idèò præactum jus Archiepiscopi non aliter in usum deducere poterunt, quam cum provinciali Concilio, prout textum in *d. cap. venerabilis* post Emmanuelem Gonzalez interpretatur Petra *d. l. pag. 272. num. 16.* aut saltem in ea hypothesi, quæ Suffraganeus delinquit in officio & actu, qui spectat ad jus Metropolitanum per ea, quæ tradit D. Petra *d. l. pag. 273. n. 20. & seqq.* aut denique in casu, quò Archiepiscopus procedit ad declaratoriam censuræ, latæ ab ipso Jure: hanc enim declarationem etiam contra ex-

emptos fieri posse, satis innuit Card. de Luca de *Jurisdic. dist. 52. n. ult.*

V. jus invigilandi super residentia Suffraganeorum: nam Concil. Trident. *sess. 23. de Reform. cap. 1.* peculiariter disposuit, *legitima absentia causas à Beatissimo Romano Pontifice, aut à Metropolitanano, vel, eò absente, Suffraganeo Episcopo antiquiori residente (qui idem Metropolitanani absentiam probare debet) in scriptis esse approbandas; nisi cum absentia incidere propter aliquod munus & Republica officium, Episcopatus adjunctum, cujus quoniam causa sunt notoria, & interdum repentina, nec easdem quidem significari Metropolitanano necesse erit: ad eundem tamen cum Concilio Provinciali spectabit judicare de licentiis, à se vel à Suffraganeo datis, & videre, ne quis eò jure abutatur; & ut pœnis canonicis errantes puniantur.*

VI. jus publicandi & insinuandi Suffraganeis decreta & mandata Apostolica, eò sine, ut illi se suosque conformare studeant per *cap. dilectus 30. in fin. de Simonia.*

VII. jus supplendi negligentiam, à Suffraganeis in administratione sui muneris admissam; de quo in hoc *cap. à num. 102.* Inter dissentientes, qui solum in casibus, Jure speciatim expressis, id concedunt, reperitur Paulutius *Jurisprud. Sacra lib. 2. tom. 2. c. 14. sub num. 5.*

VIII. jus compellendi Suffraganeos, ut singulis annis Synodum congregent *cap. si aut olim 25. de Accusat. in fin. de Oeconomum.* constituent per *cap. cum simus 3. X. q. 3. cap. in nova 22. XI. quæst. 7.* Seminarium erigant. Trid. *sess. 23. de Reform. cap. 18.*

IX. jus honoris & reverentiæ, vi cujus Suffraganei Episcopum invisere, atque in gravioribus difficultatibus eum pro consilio requirere tenentur: quæ de causa Innocentius III. acriter redarguit Episcopum Pictaviensem, quòd, ex quo fuerat ordinatus, nemel quidem Ecclesiam Metropolitanam Burgalensem visitasset, ut patet ex *reg. 13. epistol. 92.* Verumtamen *cit. Concil. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 2.* inhiuit, ne Episcopi comprovinciales prætextu cujuscunque consuetudinis ad Metropolitanam Ecclesiam imposterum accedere inviti compellantur. Quam inhibitionem etiam respectu procuratoris, qui Episcoporum vice deberet comparere, locum habere, censuit Sacra Congregatio Concilii, cujus resolutionem Sanctissimus approbavit. Petra *d. tom. 1. pag. 482. n. 129.* Quia verò Concilium solummodò loquitur de compulsionem, & accessu invitò, non videtur esse prohibita vocatio amicabile, ad quam ex benevolentia & humanitate Suffraganei Metropolitanum accedunt, ut eadem S. Congregatio 4. Martii 1697. declaravit apud eundem Petram *pag. 484. numer. 134. & seqq.*

X. est jus convocandi Concilium provinciale, quod est unum ex præcipuis, in quò Metropolitanani præminentia conspicitur, utpote qui est Caput, Præses, & Director totius



47 tius Concilii. Convocatur autem, ut dicit Concilium Tridentinum *sess. 24. de Ref. cap. 2. pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex Sacris Canonibus permittis*, de quibus in *cap. propter Ecclesiasticos 4. & seqq. 101. Dist. 18. cap. sicut olim 25. de Accusat.* Et quidem antiquioribus temporibus quolibet annò Metropolitanus debebat Concilium bis congregare *d. cap. propter Ecclesiasticos 4. deinde, cum propter locorum distantiam, & itineris molestiam id nimùm videretur incommodum, semel in anno jubebatur cap. quoniam 7. d. Dist. 18. d. cap. sicut olim 25. demum in cit. Concil. Trid. ordinatum est, ut quolibet saltem triennio, post octavam Pasche Resurrectionis Domini nostri JESU Christi, seu alio commodiori tempore pro more provincie Synodus cogatur.* Ubi verò Metropolitanus est legitime impeditus, non ipsius Vicarius Generalis, sed Suffraganeus seu Coepiscopus antiquior Concilium indicit, uti Trident. *d. cap. 2. sess. 24. clarè disponit.* Vocantur ad hoc omnes Episcopi Suffraganei, etiam si consecrati non fuerint; cum etiam, qui tantum confirmati sunt, votò decisivò gaudeant. *51* Barbosa ad *cit. Concil. cap. 2. n. 6.* Sede tamen Episcopali vacante, vocatur Capitulum Cathedrale, & comparet per Vicarium Generalem Capitularem, speciali mandatò instructum; cui etiam competit votum decisivum, licet alias, quando Sedes non vacat, vocari quidem soleat, sed cum solo voto consultivo per deputatum comparere possit. Eminentiss. Petra *tom. 1. pag. 471. num. 35. & pag. 472. num. 37.* Prolixè Fagnanus ad *cap. etsi membra 10. seu ult. de his, que sunt à 52* *Prelat. sine cons. num. 41. & seqq.* Vocantur & alii juxta sæpe *cit. Trident. qui de Jure vel consuetudine interesse debent*; quales sunt, qui jurisdictionem quasi-Episcopalem habent intra provinciam, uti Abbates exempti, populum habentes, dicti alioquin nullius. *Petra d. pag. 470. n. 28. & seq. ubi subdit, quòd reneantur & isti eligere Metropolitanum, ad cujus provinciale Concilium accedant, ad instar Episcoporum exemptorum, de quibus mox, arg. cit. Concil. sess. 24. de Refor. cap. 9.* *53* Quales etiam sunt simplices Presbyteri vel Diaconi, si ex speciali privilegio Apostolico jus habeant dandi Suffragium. ut evenisse sub Symmacho Papa, dicit *cit. Petra pag. 472. n. 40.* Nihil dicendò de aliis, qui, sive Clerici sive Laici fuerint, ex causa gravaminis ad Concilium accedere valent per *cap. propter Ecclesiasticos 4. Dist. 18.* Vocantur præterea Episcopi exempti, qui nulli Archi-Episcopo subjiuntur: tenentur siquidem ex dispositione *cit. Trid. cap. 2. aliquem vicinum Metropolitanum semel eligere, vicinij provinciali Synodo deinceps interesse debeant, & qua ibi ordinata fuerint, observent, ac observari faciant; in reliquis tamen omnibus eorum exemptio & privilegia salva atque integra maneant.* *57* Quòdli Episcopi, legitime vocati, com-

pareant, præsidente Archi-Episcopò ceu Capite, ordinem sedendi juxta tempus ordinationis suæ capiunt *cap. ult. Dist. 17. cap. placuit 1. Dist. 18. non attendò, utrùm ex illis quidam exempti sint, nec ne, nisi quoad tempus ordinationis pares forent, sicut à Gregorio XIII. declaratum refert cit. Petra pag. 475. n. 61. apud quem plura de Concilio Provinciali videri & legi poterunt.* Quoad subditos Suffraganeorum habet *58* Archi-Episcopus I. jus visitandi totam provinciam, Suffraganeos & eorum subditos, Cathedralium & aliarum Ecclesiarum Capitula, & Monasteria, Ecclesias & alia religiosa & pia loca, Cleros & populos, ac procuraciones à locis visitatis recipiendi. Textus in *cap. Romana 1. §. deinde liceat de Consib. in 6.* Quamquam *59* in Concil. Trident. *d. sess. 24. de Reformat. cap. 3. ita jus visitandi fuerit limitatum, ut à Metropolitanis, etiam post plenè visitatam propriam diocesim, non visitentur Cathedralis Ecclesia, neque Dioceses suorum Comprovincialium, nisi causà cognitã, & probatã in Concilio Provinciali.* II. jus notoria crimina, que examinatione *60* non egeant (cum super his merito notari possit Ordinariorum negligentia eorundem) liberè corrigendi, pœnam pro illis debitam infligendò, ut dicit textus in *cit. cap. Romana 1. §. sanè hujusmodi &c. quam potestatem Archi-Episcopus solummodò exercet tempore visitationis, ut colligitur ex eod. cap. & notat Ventriglia in praxi annotat. 49. p. 1. §. un. sub num. 11.* III. jus, dum visitat, audiendi confessiones *61* subditorum Suffraganeorum, absolvendi confitentes, & ipsis pœnitentias infligendi salutares. *cap. ult. d. de Consib. in 6.* IV. jus, vi cujus, sicut loquitur Innocentius *62* IV. de Archi-Episcopo Remensi in *cap. Romana 1. de Penit. in 6. licet ipsi, suam provinciam visitanti, eos, qui tunc sibi, vel sua familia, aut alii, quos propter hoc per eandem provinciam dirigit, & etiam, quando Concilium convocat, eos, qui nuntiis suis, quos pro illo vel alias per provinciam ipsam suã debitã Jurisdictione utendò transmittit, injuriare præsumunt, si hac occasione sua in his impediatur Jurisdictio, pro injuria hujusmodi (dummodò existat notoria) propriã auctoritate punire. Sibi etiam & Metropolitanis aliis in suis provinciis (dum sic in illis Jurisdictionem exercent) puniendi manifestas & notorias offensas, tunc eisdem illatas, vel suis (etiam si exinde impediatur Jurisdictionem hujusmodi non contingat) libera sit facultas. V. jus relegandi ex tota sua provincia *63* delinquentes in dicecesi, ad Metropolitanum pertinente *arg. cap. non sicut 2. de Arbitr. & ibi Barbosa num. 4.* VI. jus mittendi quæstores elemosinarum *64* per totam provinciam pro restauranda fabrica Ecclesiæ Metropolitanæ. *cap. Romana 1. de Penit. & Remission. in 6.* VII. jus aliquibus juxta ex causa interdici *65* cendi prædicationis officium per totam provin-*

vinciam per *cap. siarum 11. de Privileg. Engel ad vis. de Major. & obed. sub num. 12.* VIII. jus cognoscendi de omnibus causis *66* subditorum in tota provincia, quando per viam appellationis devolvuntur ad Metropolitanum *cap. pastoralis 11. de Offic. Ordin. cap.*

*Romana 1. de Foro compet. in 6. cap. Romana 3. de Appellat. eod. in 6.* IX. jus concedendi indulgentias per totam provinciam, etiam extra actum visitationis, dummodò statutum Generalis Concilii non excedatur *cap. nostro 15. de Penitent. & Remission. cap. Romana 1. eod. in 6.*

QUÆSTIO III.

Quænam sit auctoritas & potestas Legatorum Sedis Apostolicæ?

*68* DARA est sufficiens explanatio in hoc *cap. à num. 41.* Quibus cumungi possunt, si liberit, que ad propositum tradidit Eminentiss. Petra in *Comment. ad Constit. Apostol. tom. 2. à pag. 80. sect. 1. 2. & 3.* Addere quoque non pigebit, que in *Jurisprud. Publ. univ. lib. 4. cap. 4. de Legatorum juribus & immunitatibus in genere fuerunt discussa:*

quin enim omnes eorum prærogativæ Sedis Apostolicæ Legatis ex æquo competant, eò minus ambigo, quòd notius est, quòd Summus Pontifex non tantum Supremum Caput sit Orbis Christiani in spiritualibus; sed etiam Principis Supremi personam in suo territorio quoad temporalia referat.

QUÆSTIO IV.

Qualem auctoritatem & potestatem habeant S. R. E. Cardinales?

*69* ULTRA hoc, quod de S. R. E. Cardinalibus in compendio constrinximus in *pref. cap. à num. 71. de illorum origine notandum I. juxta Bullam Eugenii IV. que incipit: non mediocri datam Annò 1439. Cardinales à tempore primi omnium Pontificis S. Petri natales suos deducere: nam, ut dicit ibid. Eugenius, eisi hujus dignitatis nomen, quòd modo in usu est, ab initio primitivæ Ecclesiæ non ita expressum fuit, officium tamen ipsum à B. Petro ejusque successoribus institutum evidenter invenies.* Imò, ut inquit Innocentius III. (nempe in *cap. per venerabilem 13. Qui filii sint legit. ex veteri testamento jussu DEI traxit originem: asserit enim, id, quòd Deut. 17. dicitur, ut pro difficultate & ambiguitate judicii accedatur ad Sacerdotes Levitici generis, & Judicem, qui fuerit illo tempore, & obediatur ipsorum judicio, qui præsent loco, quem Dominus elegerit, de Summo Pontifice intelligendum esse, & fratribus ejus, id est, S. R. E. Cardinalibus, qui ei Jure Levitico in executione Sacerdotalis officii Coadjutores existunt. Itaque & ab exordio Ecclesiæ, sicut & hodie, Summis Pontificibus in regenda gubernandaque universali Ecclesiâ assistebant. Et, ut ex Concilio D. Stephani colligitur dicantur: oportebat, ut hæc sacrosancta Domina Romana Ecclesiâ, juxta quòd à B. Petro & ejus successoribus institutum est, ritè ordinaretur, & in Apostolatus culmine unus de Cardinalibus Presbyteris aut Diaconis consecraretur, datur manifestè intelligi, hos fratres nostros, qui inter Cardinales collocantur tempore B. Petri existisse. In confinio autem Nicani Concilii B. Sylvester, qui cepit Ecclesiâ regere anno Incarnationis Domini 330. vel circiter, in Synodo generali congregatis præsidens, hos Coadjutores suos nuncupavit Car-*

dinales, & magnò admodum privilegio insignitis, quale nullus Patriarcharum, Archi-Episcoporum, & Episcoporum in canonibus habere reperitur, ut videlicet sine plurimâ testium multitudine damnari non debeant. Notandum II. causam, ob quam Cardinales *70* Episcopis præferuntur, ab Eugenio IV. in *cit. Bulla hanc præcipuè assignari: quia, licet Episcopi Cardinalibus quoad potestatem Ordinis præponderent, at tamen Cardinales quoad dignitatem, officium, & jurisdictionem Episcopis potiores sunt: Episcopi namque & Archi-Episcopi privatae unius patriæ utilitati præsent; Cardinales publicæ totius populi Christiani: illi unam duntaxat regunt Ecclesiâ; isti cum Sede Apostolica universales: & cum à nemine, nisi solò Papa, judicentur Cardinales, ipsi & Patriarchas, & Archi-Episcopos, & alios Ecclesiæ gradus, cum Summo Pontifice, judicant: quorum officio nomen ipsum consonat quàm optime: nam, sicut super cardinem voluitur ostium domus, ita super hoc Sedes Apostolica, totius Ecclesiæ ostium, quiescit & sustentatur. Unde notissimus ille Constantinus Imperator, animadvertens, ad quàm magnum & publicum universalis Ecclesiæ officium vocati essent, sic, inquit, volumus, hujus Ordinis Reverendissimos Clericos, S. R. E. servientes, singulos habere illud sanctum culmen potentia, & excellentia, cujus Sanctissimus noster Senatus videtur gloriâ, adornari id est, Patrios Consules fieri, quos eisdem Patrios Consules secundum leges, ut in summa dignitate constitutos, Imperator Patres sibi legit, & locò Patrum à se honorari affirmat. Ipsos præterea Cardinales pro honoris ac dignitatis eminentia partem sui corporis Summi Pontificis appellant: ex quo sine ulla dubitatione ostenditur, post caput*



Ecclesia, quod est Papa, contigua sui corporis membra, qui sunt fratres ejus Cardinales, praeter ceteris Ecclesia partibus & membris honorari debere, adeo quidem, ut Sacris Canonibus sancitum sit, eos, qui in Cardinales manus injecerint violentas, aut fugaverint, aut insecuti fuerint, seu ad hoc dederint consilium, vel favorem, criminis laesa Majestatis reos maximis & multiplicibus poenis esse plectendos, ac si ipsi Apostolici throni violassent Majestatem, quod in ipsos, qui Patriarchas, Archi-Episcopos, vel Episcopos offenderint, statutum minime reperitur: ut evidenter hinc liqueat, tanto amplius censeri dignitatem, quanto plures severioresque illam offendentibus infliguntur poena. Vid. Eminentiss. Petra in Comment. ad hanc Const. 10. 4. pag. 528. & seqq.

Eam ob causam in Capella Pontificia non mediocre discrimen intervenit inter Cardinales & Episcopos: Cardinales siquidem instar Canonicorum in Cathedrali sedent in sedibus coopertis cum appodio; Episcopi sine appodio: illi osculantur manus Papæ, nec genuflectunt, sed tantum se profundè inclinant; isti genuflexi osculantur genua, & in Camera etiam pedes: illi in Camera loquuntur cum Papa sedentes in scabello cum appodio, cooperti bireto; isti prius genuflectentes, deinde à tempore Clementis X. adstantes & detecto capite loquuntur. Petra tom. 1. pag. 154. num. 41. & pag. seq. num. 54. & seq. ubi dicitur de Regiis Cardinalium honoribus, quos Pius II. creandò dicebat: Vos Senatores Urbis, & Regum similes estis.

Notandum III. quoad creationem Cardinalium præfatam Eugenium IV. in alia constitutione, quæ incipit in eminenti, edita 7. Calend. Novembr. Anno 1431. decrevisse, per creationem seu pronuntiationem Cardinalium, in secreto Consistorio factem, seu imposterum faciendam, alicui sic in Cardinalem pronuntiato vel pronuntiando, licet per eum ad Cardinalatus initium dispositus videatur, nullum jus seu titulum re aut nomine acquisitum fuisse, aut acquiri potuisse hætenus, vel debere seu posse quomodolibet in futurum, donec & quousque in Romana Curia præsentis Cardinalatus insignia, videlicet per Capelli rubei traditionem, aut Tituli assignationem, annulique juxta morem consueta in digito immisionem, absenti verò ab eadem Curia per hujusmodi Capelli missionem, realiter sint impensa, aut saltem in generali Consistorio; neque in electione Romani Pontificis vocem activam aut aliquo actu ha-

buisse, vel habere potuisse, aut debuisse, seu posse vel debere, donec ei os fuerit apertum, id est licentia votandi data. Verùm (verba sunt Eminentiss. D. Cardinalis Petræ in Comment. ad cit. Const. 10. 4. pag. 481. n. 6.) quidquid sit de præfata pronuntiationis Cardinalium more, nostris temporibus Summus Pontifex in actu ipso promotionis perfectè & ex sui parte Cardinales creare intendit, nihil curatâ nostræ Eugenianæ dispositione; adeo ut optimè dixerit Card. de Luca in Relat. Rom. Cur. disc. 5. num. 11. quod oris apertio, juramenti præfatio, aliaque traditionis insignia solennia sint meræ cæremonie, quæ non percutiunt substantiam, vel perfectionem actus, quoniam secutâ promotione, ut supra, illi sunt veri ac perfecti Cardinales, ideòque (quidquid aliàs dubitatum fuit) votum habent in conclavi in electione Pontificis, omnesque alias Cardinalitatis jurisdictiones, & præminentias, ut moderna praxis docuit &c. quod etiam expressè colligitur ex decreto Pii V. die 26. Januarii 1571. Ita idem Petra. Quò ve-

ro tempore Cardinales vestes coccineas seu purpureas induere cœperint, inter DD. non convenit; illud verò, teste cit. Eminentiss. Petra pag. 486. sub num. 21. in comperto est, ab Innocentio IV. in generali Concilio Lugdunensi duodecim tunc creatis Cardinalibus pileum seu galerum rubrum, velut ejus Ordinis proprium insigne, concessum; atque à Paulo II. publicò decreto capitum, seu pileolum rubrum, fuisse indultum. Ad idem Author num. 22. Regularibus, ad Cardinalatum evectis, eandem formam habitus cum cæteris Cardinalibus convenire, servatò tamen colore regularis professionis; idque etiam quoad biretum & capellum usque ad Gregorium XIV. obtinuisse, qui deinde ordinavit, ut etiam Cardinales ex Ordinibus Regularibus biretum & capellum rubrum portarent. Quæ verò solennitates in creatione Cardinalium ulterius adhibeantur, apud eundem D. Petram d. l. pag. 482. & seqq. conspici poterit, simulque notari differentia inter Cardinales, qui Romæ præsentibus sunt, & alios, in absentia creatos: illis namque S. Pontifex statim pileum & biretum imponit; istis autem per aliquem ex suis familiaribus biretum duntaxat mittit, pileumque reservat, usque dum ad Urbem veniant; præterquam si ex Imperiali vel Regali aliqua familia Cardinales creentur.

## CAPUT V.

### De Jurisdictione Subalterna Sæculari.

Insignis hæc Jurisdictionis species vix alibi, quam in Imperio Romano - Germanico suum usum & praxim habet. Ad ejus summariam cognitionem sufficere videntur, quæ in præfata Capite discutuntur. Ad ple-

niorem notitiam Lectoris desideria interim suspendere debeo, usquedum Jurisprudentia Publica Imperii Romano - Germanici, in qua Jurisdictio seu Superioritas Territorialis per multa folia deducetur, lucem aspexerit.

CA-

## CAPUT VI.

### De Jurisdictione Propria, seu Ordinaria & Extraordinaria.

#### SUMMARIA.

1. Episcopi possunt habere plures Vicarios, unum in Urbe, alterum extra. 2. & seqq. An foraneus Vicarius habeat Jurisdictionem ordinariam? Cum distinctione deciditur. 8. & 9. De nomine Abbatum Regularium. 10. & seqq. Habent Jurisdictionem ordinariam. 12. Uti & Prælati Sæculares, habentes sub se aliquod collegium. 13. & seqq. Subjicitur triplex classis Prælatorum, Episcopis inferiorum. 17.

& seqq. Adstruitur inter ipsos notabile discrimen. 21. Abbatisse possunt habere Jurisdictionem ex privilegio. 22. & seqq. Possunt assumere Capellanos sine collatione tituli. 24. Possunt etiam ex privilegio Apostolico acquirere jus institutionis, quod exerceant nomine Papæ. 25. Exceptâ institutione authorizabili. 26. & seqq. Declaratur, an & quâ ratione possint obtinere territorium separatum.

#### QUÆSTIO I.

##### An Vicarii Generales Episcoporum habeant Jurisdictionem ordinariam?

1. Conclufi in hoc cap. à num. 67. Vicarium Generalem Episcopi habere Jurisdictionem ordinariam. Sed quia etiam in num. 61. adverti, Episcopum, si velit, posse habere plures Vicarios Generales, & si placeat, unum deputare in urbe, alterum foris & ruri, qui propterea foraneus audit per Clem. etsi 2. de Rescript. dubitari posset, an iste foraneus etiam censeatur habere Jurisdictionem ordinariam? Enimverò Eminentiss. Card. de Luca de Jurisdic. disc. 22. n. 11. sentit, ejusmodi Vicarios non esse magnæ considerationis, ac pro levibus duntaxat & modicis causis deputari; & ut scribit Monacelli in formul. leg. part. p. 1. tit. 1. pag. m. 20. num. 2. & 3. ut plurimum ex causæ scura quinque non excedunt; indeque illos nec in dignitate nec in personatu constitutos existere, nec alios Presbyteros ratione officii præcedere, tradit idem Monacelli n. 6. cum Barbola in Decis. Apostol. coll. 718. n. 1.
2. Quia tamen idem Card. de Luca in Annotat. ad Concil. Trid. disc. 4. n. 5. eumque secutus Carolus Antonius de Luca ad Ventrigl. in praxi rer. notab. annot. 14. §. 1. n. 4. animadverterunt, eum, qui extra urbem cum aliqua delegatione universitatis causarum est constitutus, habere aliquam majorem prærogativam & Jurisdictionem, quàm regulariter Vicariis foraneis competit: ideò distinguendum erit, an Vicarius, extra Urbem de-

putatus, sit æquè deputatus ad universitatem causarum Episcopaliū, atque in ille, qui residet in Urbe; nec ne. Si posterius; pro diversitate causarum factæque delegationis aut erit nudus Vicarius Foraneus, seu Decanus Ruralis, cui Jurisdictionem propriè dictam in hoc cap. n. 89. non concessi per d. Clem. etsi 2. de Rescript. cap. ult. de Offic. Archi-Presbye. aut denique Judex aliquis delegatus. Si prius; poterit ille Vicarius dici verè generalis, Jurisdictione ordinaria præditus, in dignitate constitutus, & sic capax delegationis Apostolicæ per ea, quæ docent Zerola in praxi Episcop. p. 1. verb. Vicarius pag. m. 690. Sylvester in summa verb. Vicarius q. 4. Barb. J. E. U. lib. 1. cap. 15. n. 30. & seqq. P. Engel ad tit. de Offic. Vic. n. 4. neque enim Vicarium Generalem facit qualitas loci, sed generalitas causarum, uti in simili arguit Sbrozz de Vic. Episc. lib. 1. q. 20. n. 11. & q. 25. n. 6. Unde, si rescriptum aliquod Pontificium ad Vicarium Generalem dirigatur in materia gratiosa, erit in arbitrio impetrantis, cuinam illud præsentare velit; poteritque electus ab impetrante Vicarius ad executionem privativè procedere juxta dicta & docta à Barbola d. l. n. 33. Sbrozz lib. 2. quæst. 63. num. 22. & seqq. Pirhing ad tit. de Offic. Vicar. numer. 30. Quod secus est in casu Vicarii foranei, aut ubi non uterque est Generalis.

#### QUÆSTIO II.

##### An Abbates Regulares & alii Prælati, Episcopis inferiores, habeant Jurisdictionem Ordinariam?

3. In nomenclaturam Abbatis studiosè primò inquiri Eminentiss. D. Cardin. Vincentius Petra tom. 1. in Comment. ad Const. 2. Eugenii III. à pag. 530. & pag. 541. num. 18.

& seqq. concludit, quòd, licet in sui primæ institutione fuerit nomen sollicitudinis, ac potestatem tantum œconomicam contulerit; attamen successu temporis importaverit ve-

N 3

tam